



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dispytatio I. De ijs quæ requiruntur vt actio aliqua sit moralis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

LIBER PRIMVS
DE
MORALITATE NATVRA
ET
EFFECTIBVS
ACTVVM SVPERNATVRALIVM
IN GENERE.
DISPV TATIO I.

De ijs qua requiruntur vt actio aliqua sit moralis.

DVBIVM I.

Qua actio dicatur humana, aut moralis?

1
Actio homi-
nis & huma-
na quomodo
differant.



Nota Primò, aliud esse actionem hominis: aliud eam esse humanam. Nam omnis actio ab homine exercita dicitur actio hominis, sola tamen illa est humana, quæ homini est propria. Sub homine autem hæc etiam angelum comprehendit: quia quod ad rem præsentem spectat, eadem utriusque est ratio.

2
Actio dupliciter homini propria.

Nota Secundò, actionem dupliciter posse esse homini propriam. Primò, ratione suæ substantiæ suæ naturæ: sic intelligere ei dicitur proprium, quia alijs creaturis non conuenit. Secundò, ratione modi, quo à sua potentia procedit, quatenus nimirum agens eam liberè elicit, siue tamquam dominus suæ actionis, eamque in sua potestate habens.

3

Nota Tertiò, etsi *mos* ex prima sua institutione sit idem quod *consuetudo*; tamen, præsertim in plurali, communiter ferè accipitur pro illa sola consuetudine à qua boni vel mali, laude vel vituperio digni sumus: qua ratione omnis illa actio potest dici moralis, quæ quacumque ratione est moraliter bona vel mala, siue quæcumque facit mores hominum meliores aut peiores. Durandus autem in 2.d.38.q.1.a.1. & quidam alij volunt actionem dici moralem à *more*, quatenus consuetudinem significat, quia hæc est prima & propria huius vocis *mos* significatio.

Coninck de act. supernat.

ficatio, atque ita secundum illos omnis illa actio propriè dicitur moralis, quæ sit secundum morem communem hominum, siue eo modo, quo solent communiter homines agere.

Nota Quartò, diuersarum scientiarum tractatores iisdem nominibus diuersimodè vti: nam per *corpus* aliud significat Physicus, scilicet quamuis substantiam compositam ex materia & forma: aliud Mathematicus, nimirum quantitatem longam, latam & profundam, prout abstrahit à materia: aliud Iurista in materia legum aut contractuum, ut dum dicit aliquid haberi in corpore Iuris; magistratum iustum adesse in corpore; bona aliqua vendita esse in corpore. quisque enim hac voce utitur, prout eius fini & materiæ explicandæ conuenit.

Ex quo sequitur, ut sciamus quid nomen aliquod in hac vel illa materia, siue prout sumitur ab Auctoribus hanc vel illam materiam tractantibus, propriè significet, non esse spectandum unde deducatur, siue quid vox, à qua deducitur, primò significet: sed quæ significatio illorum fini explicando maximè congruat, & qua ratione illi communiter illud soleant vstare.

CONCLUSIO I. Etsi actio humana apud Physicos possit dici omnis ea, quæ homini, prout à bruto distinguitur, propria est, siue libera sit, siue non; tamen à Philosopho morali aut Theologo illa sola dicitur humana, quæ secundo modo ex dictis n.2. propria est homini, siue quæ est libera. Ita cum D.Thomas 1.2.q.1.a.1. in corpore, communiter Theologi. & ratio est, quia, cum ipsi tractent de actionibus humanis non quacumque ratione, sed quatenus laude vel vituperio dignæ sunt, & præmium aut pœnam merentur, cumque hoc illis solis conueniat, quæ liberæ sunt, sub hac sola consideratione eas humanas vocant.

Ita enim ver-
bis diuer-
siter si-
gnificant.

Qua ratione
vera nomi-
num signifi-
catio agud
diuersos au-
ctores in-
quirenda sit.

Quæ actio
dicenda sit
humana.

D.Thomas.

A

CON-

6
Vnde actio
dicatur mo-
ralis.

CONCLVS. II. Actio non dicitur moralis à more quatenus consuetudinem significat, siue quia fit consueto more operandi. sed quia ita ab homine procedit, ut, quantum attinet ad rationem siue modum procedendi, nata sit esse laude aut vituperio, premio aut pœnâ digna: atque adeò de facto talis necessariò sit, si modò aliquam ratione obiecti aut circumstantiarum cum recta ratione siue natura rationali repugnantiam aut conuenientiam habeat. Quod addo propter actiones indifferentes, quas multi etiam in indiuiduo dari censent.

Prior pars probatur, quia aliàs etiam opera brutorum possent dici moralia, quia hæc ea consueto sibi modo operandi faciunt. Item ante diluuium cum omnis caro corruperat vias suas, & omnis hominis cogitatio prona esset ad malum, bonæ hominum actiones non fuissent morales; quia, cum rarissimæ essent, non fiebant consueto hominum modo operandi. Item si alicubi omnes essent stulti, actiones non liberæ ibi essent morales, quia fierent consueto ibidem more operandi. & similiter in cælo visio beatifica esset actio moralis, quia fit consueto ibidem more operandi. quod tamen Auctores illius sententiæ negant, & meritò, quia omnes communiter fatentur solas liberæ actiones esse morales.

7 Dices, non esse hic spectandum morem operandi qui homini per accidens conuenit, sed qui ei per se conuenit. Sed contra Primò, quia mos æquè ac ferè communiùs significat consuetudinem operandi, quæ per accidens alicubi introducta est, quàm quæ per se homini conuenit: ergo secundum illam sententiam ab utroque more æqualiter debet actio dici moralis. Secundò, quia inde saltem sequeretur, actiones valdè excellentes aheroicas, quæ quæ omnino extraordinario & supernaturali modo fiunt, non esse morales, quia non fiunt more consueto.

Probaturs Secundò, quia ad finem, quem spectant Philosophus moralis & Theologus, impertinens est an actio fiat consueto more operandi, nec ne; ergo ipsi non ideo vocant eam moralem quia hoc modo fit.

8 Secunda pars prob. quia Philosophi morales hoc nomen *moralis* inuenerunt ac actibus imposuerunt, ut in ijs significet aliquam conditionem communem actibus formaliter bonis ac malis, siue laude aut vituperio dignis, quæ proximè ex parte generis requiritur ut sint ita bonæ vel malæ: at qui hæc conditio est dictus modus procedendi à potentia: ergo hic per esse morale significatur. Minor dubio sequenti patebit. Maior probatur, quia ipsi per actum moralem significant genus immediatè commune actibus formaliter bonis & malis; nam actum moralem immediatè diuidunt in bonum, malum, & indifferentem secundum speciem: ergo per actum moralem significant eum, qui habet conditionem communem utriusque actui ex parte proximi generis immediatè requisitam ut hoc vnà cum differentijs contrahentibus constituat actum laude vel vituperio dignum. Sicut quia esse *sensituum* constituit corpus animatum

ultimò aptum ut cum differentijs contrahentibus constituat hominem vel brutum, idè est vera ratio, à qua corpus animatum dicitur animal. Similis autem conditio respectu immediati generis actus boni & mali, est dictus modus procedendi.

9 Hinc et si actio solùm materialiter bona vel mala ob defectum libertatis (qualia sunt odium aut amor Dei non libera) habeat aliquid esse aliquo modo morale, scilicet aliquam repugnantiam aut conuenientiam cum recta ratione, siue natura rationali, qua talis est; in quibus (ut ostendam disp. 3. dub. 1.) consistunt malitia & bonitas morales materiales: tamen non est verè actio moralis, quia illi deest modus ille procedendi à potentia necessariò requisitus ut aliqua actio sit formaliter bona vel mala, siue laude aut vituperio digna.

D V B I V M II.

In quo præcisè consistat dictus modus procedendi, à quo actio dicitur moralis?

10 **V**T hæc melius intelligantur, Nota in nostra actione quatuor posse considerari. Primò, ipsius esse physicum, quatenus est quædam qualitas talis speciei: quæ et si secundum se sit aliquid absolutum, triplicem tamen respectum transcendentelem includit. Primò, ad obiectum præsertim formale, à quo habet suam speciem. Alia enim est cognitio, qua aliquid cognosco ob intrinsecam suam euidentiam; alia, qua id cognosco per rationem ei extrinsecam. Item alia est volitio, qua aliquid appeto quia honestum; alia, qua id appeto quia delectabile. Autem omnis cognitio aut volitio ita habeant suam speciem à solo obiecto formali, ut omnis volitio quæ habet idem obiectum formale, sit eiusdem speciei, dicemus infra disp. 5. dub. 2. Secundò, dicit respectum ad causam producentem, non tamquam ad id, à quo necessariò procedit (quia Deus posset quamuis nostram intellectionem, quatenus est præcisè talis qualitas, se solo producere) sed tamquam ad id, à quo postulat procedere, ut modo sibi connaturali producat. Et sic intellectio humana ab intellectu humano, angelica ab angelico, volitio verò à voluntate postulat produci. Tertiò, dicit respectum ad subiectum cui naturaliter postulat inhaerere; v.g. omnis actio immanens ad potentiam, à qua producitur, quia huic naturaliter postulat inhaerere. contra actio transiens postulat inhaerere in subiecto distincto à potentia producente.

11 Secundò, in actione considerari potest, quòd potentia ipsam producendo per eam tendat in aliquod obiectum, hoc cognoscendo, aut de eo aliquid affirmando, siue iudicando, vel ipsum amando. Quæ conditio præcipuè conuenit actibus elicitis à potentia cognitiua aut appetitiua.

Tertiò, in actu considerari potest, quòd sit liber; in quo autem consistat libertas ipsius actus, dicam infra disp. 2. dub. 1.

Quartò, in eo potest considerari quidam respectus ad rationem sufficienter hic & nunc cognos-

cognoscentem bonitatem & malitiam moralem, quæ actui inest aut inesse potest, ita ut eum eliciens habeat cognitionem requisitam ad meritum aut demeritum. Quem respectum aliqui vocant regulabilitatem per rationem.

Satis autem constat, ex his quatuor primum & secundum supponi quidem in actibus moralibus, propriè tamen non pertinere ad eorum esse morale, sed potiùs ad esse physicum seu naturale; nam etiam in actibus brutorum, qui sunt omnino incapaces omnis esse morales, reperiuntur. Sed difficultas est de tertio & quarto.

¹² Durandus in 2. d. 38. q. 1. a. 1. & quidam alij docent totum hoc esse morale actuum consistere præcisè in libertate. Primò, quia actus dicitur moralis à more siue consuetudine, siue quia consuetudo operandi fit: atqui consuetus modus operandi hominum est agere liberè: ergo esse actuum morale consistit præcisè in libertate.

¹³ D. Thomas. Secundò, quia D. Thomas multis locis & alij communiter dicunt eundem actum esse liberum, moralem, & humanum: ergo esse morale est esse liberum. Tertio, quia multi sapè agunt non cogitando an bene vel malè agant, & tamen hi eorum actus sunt verè morales: ergo illa consideratio ad hoc non requiritur. Si dicas tales hîc & nunc teneri considerare an bene vel malè agant, atque ita eorum actionem dicere respectum ad considerationem, quæ potest & debet inesse; illi negant assumptum, quia nulli bi existat tale præceptum, & si quod esset, posset à multis inuincibiliter ignorari, atque ita eorum actiones essent morales sine tali respectu.

¹⁴ Sed hæc sententia non probatur. Primò, quia repugnat communi conceptui; omnes enim communiter per esse morale actuum concipiunt aliquid propriè pertinens ad moralem bonitatem vel malitiam nostrorum actuum, & immediatum ad has ordinem dicens: quod non conuenit nostris actibus præcisè qua liberi sunt: nam præcisè qua tales nullum omnino ordinem habent ad bonitatem aut malitiam moralem: nam possum perfectè concipere aliquem actum esse perfectè liberum, nullo modo cõcipiendo eiusmodi bonitatem aut malitiam, vel illum ad eas ordinem. Secundò, quia actus moralis immediatè diuiditur in actum bonum & malum tamquam horum immediatum genus, & consequenter debet habere omnes conditiones requisitas ad tale genus immediatè constituendum. (voco autem hîc genus immediatum istorum actuum, quod immediatè in eos diuiditur, siue simul diuidatur in aliam immediatam speciem, siue nò:) atqui hoc ipsi nequit competere præcisè per libertatem sine respectu ad supradictam cognitionem: ergo sine hoc respectu nequit esse actus moralis. Minor probatur, quia sine tali respectu ad sufficientem cognitionem bonitatis vel malitiæ actus nequit esse formaliter bonus vel malus: ergo sine eo non habet omnes conditiones ex parte generis immediati requisitas ad constituendas actiones bonas vel malas, & consequenter nequit horum esse genus immediatum. Sicut, quia corpus animatum sine sensibilitate nequit esse homo vel brutum, bene sequitur illud non esse

Coninck de act. supernat.

horum genus immediatum; sed ad hoc præterea requiri ut sit sensibile. Probatum Tertio, quia si per possibile aut impossibile aliquis haberet sufficientem cognitionem ut liberè ageret, & tamè inuincibiliter careret omni omnino cognitione boni & mali morales, siue virtutis & vitiij (quod quidam putant contingere in pueris primò vsum rationis imperfectè adeptis, aut etiam in multis actionibus amentium) ille haberet actiones verè liberas, non tamen morales: ergo moralitas non consistit in sola illa libertate.

Ad primum argumentum contrarium, negandum est assumptum, ut patet ex dubio 1.

Ad secundum, Respondeo eos hoc dicere, quia saltem in eorum ac etiam communiore sententia omnis actus verè liber est de facto etiam moralis, quia fit cum sufficiente cognitione boni & mali morales saltem in consilio; non autem quod putent moralitatem actus consistere præcisè in libertate. Ad tertium, nego antecedenam si tales habent sufficientem vsum rationis ad eliciendos actus morales, hoc ipso quo aduertunt quid agant sufficienter ut possint verè liberè agere, etiam saltem in consilio concipiunt aliquam rationem boni vel mali morales; ita ut possint considerare an ipsorum actus sit hîc & nunc licitus aut illicitus, siue an sit malus nec ne; & consequenter tenentur hoc cõsiderare. Quia nemo sufficienter aduertens quid agat, licitè aliquid agit, si omnino nesciat an sibi liceat hoc agere: quia sic temerariè agit exponendo se periculo agendi aliquid illicitum: quod facere est apertè illicitum. Quod si tales non habeant sufficientem vsum rationis ad eliciendos actus morales, aut si hîc & nunc carcant aduertentia necessaria ut agant liberè, palàm est eos non elicere actus morales.

Confirm. quia aliàs sequeretur fieri posse ut aliquis perfectè vrens ratione sciens liberè blasphemaret sine culpa; si nimirum nullo modo, ne quidem confusè aduenteret actionem suam esse malam: quia ut aliquis culpabiliter peccet, sui actus malitia debet ei aliquo modo esse voluntaria; quod fieri nequit, si nullo modo aduertat actionem suam esse malam, quia omnino incognitum nequit esse voluntarium. cum igitur absurdum sit dicere aliquem habentem sufficientem cognitionem mali morales habituales, & cognoscentem Deum, liberè & scienter posse eum blasphemare sine culpa; necessario dicendum est hoc fieri non posse sine aliqua actuali cognitione mali morales.

¹⁵ Contrà Vasquez 1. 2. q. 73. n. 43. & quidam alij constituunt totum esse morale actus in illo quarto, voluntq; libertatem solum tamquam fundamentum prærequiri, ut actus sit moralis; sicut animalitas prærequiritur ad rationalitatem, non tamen hanc intrinsecè constituit. Unde aliqui inferunt, actum externum, etsi non sit immediatè in se liber, sed tantum ratione actus voluntatis eum operantis, tamen esse immediatè & formaliter in se morale, & consequenter posse esse in se formaliter malum.

Sed quidquid sit de antecedente quod aliquo sensu probabiliter defendi posset, illud quod

14

Omnia aduertens quid agat tenetur considerare an licitè agat.

15

Vasquez.

16

A 2

quod

Ve actus sit
formaliter
moralis, de-
bet esse for-
maliter li-
ber.

quod aliqui inde inferunt, non videtur verum. Primò, quia est contra communem sententiam, ut infra ostendam. Secundò, quia si, ut aliquis actus secundum se esset formaliter moralis, sufficeret quòd esset extrinsecè siue mediàtè liber in sua causà; quatenus nimirum tam in inchoari quàm in continuari penderet continuò à voluntate liberè agente;posito casu quo appetitus bruti ita esset in mea potestate, ut quæ ratione & quantum ac quamdiu vellem possem eum incitare ad agendum, & ab agendo comprimere (quod per Dei potentiam fieri posset) sequeretur huius actus esse intrinsecè & immediatè formaliter morales & formaliter malos si proximo iniustè nociui essent. Hoc autem est apertè falsum.

17
Curiel.

Tertiò, Curiel 1. 2. q. 18. a. 1. dub. 1. §. 9. docet esse morale actuum consistere in habitu ad obiectum consideratum secundum rationem morum. Vbi notat quòd, sicut in actibus est aliquid esse morale abstrahens à bonitate & malitia, quòdque respectu horum sit genus; ita etiam debere considerari aliquam similem rationem in obiecto, quæ abstrahat ab obiectiva bonitate & malitia. Deinde probat suam conclus. Primò, quia esse morale actus importat modum actus, quatenus est actio tendens in obiectum: ergo consistit in habitu ad obiectum. Secundò, quia tota essentia bonitatis actus consistit in habitu ad obiectum: ergo etiam genus ipsius bonitatis, siue ipsum esse morale.

18
In obiectis
non reperitur
esse morale
generati-
cum abstrahens
à bono
& malo.

Sed hæc sententia imprimis supponit falsum fundamentum; scilicet in obiecto reperiri aliquid esse morale commune bonitati & malitiae, & ab utraque abstrahens. quod non videtur verum; quia, ut ipse etiam ibidem docet, obiectum non aliter habet in se esse morale obiectivum, quàm quatenus est subiectum regulæ morum, ut prolequendum aut fugiendum nostris actibus: atqui prout abstrahit omnino à bonitate & malitia obiectiva, non est ita subiectum regulæ morum: ergo ut sic non pertinet obiectivè ad genus moris. Sicut, quia ens non est obiectum voluntatis, nisi quatenus bonum aut malum, quatenus omnino ab utroque abstrahit, nequit esse obiectum voluntatis, aut genericum, aut specificum. Argumenta etiam pro illa sententia allata solvantur facillè.

19

Ad primum, nego antecedens, agendo de modo quem esse morale primò & omnino intimè & immediatè dicit. Vbi Nota, cum velle essentialiter dicat vitalem tendentiam potentia in obiectum, non minùs intrinsecum dicere ordinem ad potentiam producentem, quàm ad obiectum: nec enim villo modo potest concipi quòd actio sit tendentia potentia sine intrinsecò ordine ad potentiam. Imò vitalitas dicit præcisè habitudinem ad solam potentiam, sicut etiam libertas. Quare cum esse morale conveniat actui præcisè quatenus est libera tendentia potentia in obiectum cum sufficienti cognitione boni & mali moralis, etiam necessariò dicit habitudinem ad potentiam ipsum ea ratione producentem. Et quamvis dicat certum et-

iam modum tendendi in obiectum, illam tamen habitudinem dicit magis primò & per se, & hanc quasi consecutivè & concomitantè. Quod patet, quia quævis res consistens in habitu ad obiectum, maxime primò & per se dicit habitudinem ad illam à cuius positione maxime primò & per se penderet: atqui esse morale actus in genere maxime primò & per se penderet à dicto modo operandi potentia, scilicet cum libertate & sufficienti cognitione (his enim positis est moralis actio, & alterutro deficiente non est actio moralis): ergo primò & per se dicit habitudinem ad ipsam sic operantem. Sicut libertas & vitalitas actus etsi connotent etiam ordinem ad obiectum, per se tamen & immediatè dicunt ordinem ad solam potentiam liberè operantem, & ab hac præcisè habent quòd tales sint.

Ad secundum, nego antecedens; nam hæc bonitas consistit etiam magna ex parte in habitu ad potentiam liberè operantem, loquendo de bonitate formali, quam solam respicit actus moralis. nec D. Thomas vllibi contrarium docuit.

Ex quibus sequitur Primò, esse morale actus non consistere in sola libertate sine habitu ad cognitionem, sed includere in se illum respectum siue habitudinem ad rationem cognoscentem bonitatem ac malitiam moralem. Secundò, illud non posse formaliter reperiri in aliquo actu, qui non sit formaliter in se liber. Patent hæc ex refutatione utriusque sententia contraria: Vnde infero Tertiò, cum Zumel 1. p. q. 14. a. 13. in append. concl. 3. probabilius esse utramque habitudinem intrinsecè in esse moralis ipsius actus includi: quia alias nulla videtur ratio, cur esse morale sine alterutra in aliquo actu reperiri, aut etiam distinctè & perfectè concipi nequeat.

Vbi Nota. Etsi actionem liberè & cum tali cognitione à potentia procedere physice loquendo nihil in ea ponat, sed sit mera denominatio extrinseca: ponit tamen in ea aliquid morale ipsi verè intrinsecum, quoque ipsa actio in ratione moris multum variatur; scilicet moralem quandam habitudinem ad potentiam liberè & cum cognitione boni & mali moralis sufficienti ut possit mereri aut peccare, operantem. In qua habitu ad potentiam ita procedendi à potentia ita operante ipsius esse morale intrinsecè consistit.

Sequitur Quartò, actum indifferentem verè liberum & elicitum cum sufficienti cognitione boni & mali moralis, esse verè morale: quia quantum est ex modo procedendi à potentia, habet omnem conditionem requisitam, ut aliquis actus sit formaliter bonus aut malus, & consequenter habet conditionem requisitam ad constituendum immediatum genus actus boni & mali, quod est actus moralis. Confirmatur, quia, ut aliquis actus sit moralis, non requiritur, ut ex se absolute natus sit efficere operantem bonum vel malum (quia sic actus moralis intrinsecè diceret actum bonum vel malum, nec esset utriusque generis abstrahens à bonitate & malitia) sed sufficit quòd sit natus cum

Libertas
causat ali-
quid morale
in ipso actu.

21

Actus indif-
ferens habet
esse morale.

eum talem efficere quantum est ex modo suo procedendi à potentia, si aliæ conditiones ex parte obiecti requisitæ non deessent: siue quod liberè eliciatur cum directo ordine ad bonitatem aut malitiam cognitam, quatenus eliciens perfectè cognoscit à suo actu hîc & nunc malitiam abesse: talis enim actus ad mores spectat, quatenus morum malitia per eum vitatur; atque ita rectè dicitur moralis.

Sequitur Quintò, solos actus voluntatis esse in se immediatè ac intrinsecè formaliter morales, sicut soli sunt in se formaliter & immediatè liberi: reliquos verò solum esse morales ratione

actus voluntatis, à quo aliquo modo imperantur & informantur, & ita cum eo actum moraliter unum constituunt.

Sequitur Sextò, cuius actui etiam voluntatis considerato secundum suum esse physicum, esse omnino accidentarium quod habeat aut non habeat esse morale, quo denominetur actus moralis: nam idem actus voluntatis potest initio esse necessarius, siue non liber ob omnimodum defectum aduertentiæ, & postea accedente aduertentiâ fieri liber & moralis sine ulla sui mutatione physica: vt infra fusiùs docebo.

23
Idem actus potest esse modò moralis, modò non.

DISPUTATIO II.

De libero arbitrio.



VM secundum omnes constet, vt actus aliqui morales sint, necessariò requiri vt sint liberi, ijque dicantur liberi, qui à potentia liberà procedunt; videntur nobis est quid sit libertas, & cui potentiæ formaliter insit.

D V B I V M I.

Quid sit liberum arbitrium?

1. Quidam vt hanc difficultatem expediant multum disputant de origine huius nominis: & quia *arbitrari*, à quo illud deducunt, significat actum intellectus aliquid statuentis, volunt liberum arbitrium potissimum significare indifferentiam ipsius intellectus, quatenus ex se indifferens est ad varias rationes, ob quas aliquid possit vel appeti vel reijci, simul intelligendas. Hanc autem sententiam maximè sequuntur, vt ex ea cõcludant libertatem ipsius voluntatis potissimum desumi ab hac intellectus indifferentia. Sed hi frustra laborant. nam, vt ostendi disp. 1. n. 4. nobis non tam est curandum à quo vox aliqua denominetur, aut etiam ad quid significandum sit primò imposita, quam quo sensu communi vñ hanc illamque disciplinam tractantium vsurpetur. Constat autem *arbitrium* communi vñ significare tam actum voluntatis quam intellectus: optimè enim dicimus aliquem omnia agere pro voluntatis suæ arbitrio, id est placito. Vnde S. Bernardus infra citandus vtrumque actum ei tribuit: & vt infra ostendemus, liberum arbitrium in sola voluntate formaliter consistit.

Male inquiruntur significatio libertatis ex eius derivatione.

Bernard.

2. Varij autem variè illud definiunt. Clemens (vel si quis alius huius libri auctor) l. 3. Recognitionum, ait: *Arbitrij potestas est sensus animæ habens virtutem, qua possit ad quos velit actus inclinari. Sensus* autem latius capit pro quavis animi potentia; quæ ratione actum voluntatis solum etiam sensum vocare, vt dum dicimur iniuriam aut beneficium nobis factum magno doloris lætitiæque sensu percepisse. Auctori verò de Ecclesiæ dogmatibus est, *Rationalis voluntas*. Et

Auctor de Eccl. dogm.

D. Bernardus sermone 81. in Cantica de eo ait: *Sicut arbiter in discernendo, ita in eligendo liber, unde & liberum nominatur arbitrium quod liceat versari in his pro arbitrio voluntatis.* Alij aliter ipsum definiunt, communiter tamen ferè omnes in eo conveniunt, liberum arbitrium significare potentiam ad agendum & non agendum, siue qua homo, angelus & Deus ita habent suas actiones in sua potestate, vt possint agere aut non agere, prout libuerit. vt docet D. Augustinus l. 1. Retract. c. 9. & Method. l. de Lib. arbit. ubi ait: *Cum Deus vellet hominem honorare, dedit ei potestatem qua posset agere quod vellet, &c.*

Bernard.

Vnde Suarez l. 1. de Conseru. c. 3. n. 2. ait potentiam liberam communiter dici eam, *Quæ positis omnibus ad agendum requisitis potest agere & non agere.* Quam definitionem repetit etiam Alvarez l. 12. de Auxilijs, disp. 115. initio, dicitque eam sub ea forma non reperiri apud Aristot. Lombardum, aut D. Thomam, sed solum apud aliquos Nominales, & posse habere verum sensum atque etiam falsum: quæ fusiùs ibidem explicat. Sed quamuis hæc definitio siue descriptio ipsi verbis non reperiatur apud dictos Auctores, aut etiam apud Patres, tamen ex ijs quæ libero tribuunt arbitrio, satis colligitur, eamque insinuat apertè Trident. sess. 6. cap. 5. & can. 4. vbi libertatem nostram qua ad Deum conuertimur, in eo ponit, quod Deo tangente cor nostrum sua gratia possimus eidem assentiri aut dissentiri si velimus. Idem enim esse videtur nos posse agere & non agere tangente Deo cor hominis; & nos posse agere aut non agere positis omnibus ad agendum requisitis. Quare non puto vllum Catholicum negare dictam descriptionem legitimo sensu acceptam esse veram. Sed difficultas est quo sensu dicta sint accipienda, an scilicet in sensu composito, an verò in diuiso de quo agam dubio 3.

August. Auerhodius.

3
Suarez.

Alvarez.

Aristot. Lombard. D. Thom. Nominales.

Trident.

D V B I V M II.

An in nobis sit libertas à necessitate?

N Ora, libertatem variè apud Auctores tam sacros, quam profanos sumi. S. Bernardus

4

l. de

A 3